



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

§. VI. De Participante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

54. Notant tamen varii Doctores, quod ex metu gravi excubentur interdum receptantes fures in suis domibus, eiusque alimenta præbentes, prædas custodientes, easque furi reddentes. Quæ etiam absque expressa vel tacita additione receptaculi, post furtum patratum, furem ad necem quæsitum, ne comprehendantur & occidatur, occultat, haudquaquam censetur receptator: hoc enim velut casu & per accidens fit, supponiturque non dari furi in posterum spes similis refugii vel adiutorii: tunc namque si postea fur vias suas repetat, damnum istud non censetur causatum, sed merè per accidens sequi opera præfatum misericordiz. Quamvis revera dissuadenda sit, & interdum peccaminosa huiusmodi iustitiæ impeditio in mali generis, spei & consuetudinis furibus aliisque malefactoribus. Si etiam quæretur fur in ordine ad restitutionem rei ablata, sanè qui hunc impedit occultando, socius furtum merito censetur. Unde c. Si res aliena 14. qu. 6. ex Augustino Epist. 54. habetur: Illud verò fidentissime dixerim, enim, qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis. Advocati nihilominus licitè defendunt malefactorem in iudicio quoad ea, in quibus ipsemet potest se iure defendere & excusare, v. g. quando culpa est occulta, aut nequidem semiplenè probata, quando non servato ordine juris vexatur &c. Defenditur enim non quatenus malefactor, sed quatenus jus habens.

S. VI.

De participante.

55. Participans in re scilicet furtiva seu præda injusta, tenetur restituere totum, quod ad eum devenit, sive bonâ, sive (quod possimum hic spectatur) malâ fide. Quod si quid bonâ fide acceptum fuerit consumptum, tenetur in quantum factus est ditor. Participans autem in ipsa injusta actione dicitur generatim quicumque quovis modo concurrat ad ipsam, sive partialiter ex parte causæ, sive partialiter tantum ex parte effectus. Specialius autem participare in actione injusta dicuntur adjuvatores physici ipsius executionis, sive qui aliter quam modis præmissis ad ipsam concurrunt, auxiliumve præstant, v. g. scilicet apponunt, vel eas sustinent fure ascendente, qui excubias agunt, qui instrumenta suppedant, qui furem comitantur defendendi causâ, qui juvant effringere, alportare &c. Qui semper tenentur ad restitutionem hoc ipso, quo aliquid auxilii ad iniquam executionem Herincx Sum. Theol. Pars III.

nem contulerint, saltem si id sponte & sine compulsionem fecerint. An autem vel qualiter gravis metus interdum excuset, vide apud Lessium cap. 13. dub. 3. num. 29. & segg. & alios.

In particulari movetur difficultas, ad quid teneantur milites injurè invadentes & spoliantes urbem. Ubi in primis supponitur in solidum obligari ipse præfectus belli, idemque est de consiliarijs ad factum permoventibus. Gregarii autem milites juxta Petrum Navarra, & plures alios non tenentur, nisi pro parte prædæ, quæ ad singulos devenit, & damnificatione, quam quisque intulit. At Cajetanus, Adrianus, Joannes Medina & alii obligant quolibet in solidum ad restitutionem totius damni in defectum aliorum. Quod tunc verum putat Viggers cap. 2. dub. 5. quando omnes communi consilio aut mutuâ exhortatione, & instar unius manus invadunt aliquem locum ad deprædandum (quod sæpius & facilius contingit in minoribus locis, & minori aliqua parte exercitus) secus si solum jussu superioris absque mutua communicatione fiat invasio, locoque superato quisque incipiat pro sua voluntate prædas agere absque omni respectu, ac dependentiâ ab invicem. Neque enim solet tunc unus ab alio in præda capiendâ dependere vel juvare. Et sic auctor iste conciliandam censet utramque sententiam.

Obstare nihilominus videtur, quod (ut contendit posterior sententia) vix ullum damnum inferatur à milite, alijs non concurrentibus, à quibus auxilium seu defensionem sperat, alijs utique non ausurus: atque ita ad damnum, quod hic miles infert (idem est de singulis alijs) videantur concurrere omnes ij, quorum auxilio parato, fretus hic audet. Quamvis magnitudo damni faciat restitutionem integram frequente, singulis impossibilem, & ut damnum passus sæpe præsumatur contentus, si singuli militum restituant, quod pro sua parte intulerunt, vel prædari sunt.

S. VII.

De Cooperantibus negativè.

Mutus, seu qui tacet, dum deberet loqui prohibendo, reprehendendo, dissuadendo, clamando, vel strepitum edendo: Non obstantis, seu non impediens, dum potest & tenetur: Non manifestans malefactorem ante furtum pro damno impediendo, vel post furtum pro damno reparando (qui sunt tres modi cooperandi indirectè seu negativè) si teneantur damnum impedire ex justitia (puta ex contractu vel ex officio seu quali contractu) tenentur

56. In exspoliatione urbis an singuli teneantur in solidum.

Opinio prima negat.

Secunda affirmat.

Tertia utramque conciliat.

57. Arguitur in favorem secunde opinionis.

58. Quam cooperantes negativè.

Obligati ex officio vel